

11766

24

12

EXERCITATIO POLITICA

DE

LEGATIS,

Quam

Numine coelesti auxiliante,

In

Inclita ad Albim Academia,

Sub Præsidio

VIRI

PræEximij atq; Præclarissimi

DN. M. JOSIÆ CHRISTOPHORI
NEANDRI, Amplissimæ Facultatis Philo-
sophicæ Adjuncti Meritissimi,

DN. Cognati ac Studiorum suorum Promotoris
debitâ observantiâ etatem colendi,

defendet pro virili

JOHANNES HEINRICUS STEPHANI,
CÜSTRINENSIS NEOMARCHICUS,
Autor & Respondens.

Ad d. 23. Junij, Horis matutinis,

In Auditorio Minori.

WITTEBERGÆ

Excudebat MICHAEL Wende.

Anno MDC LX.

Handwritten signature

79





I. N. 7.

DISPUTATIO POLITICA
DE
LEGATIS.

Præloquium.



Summa Imperantium lex sa-
lus publica est. Unde prima atq;
ultima eorum cura meritò esse de-
bet, ut justè & decenter omnia in
republica gerantur. Id verò ut fiat,
non solum legibus opus est, quibus
in officio subditi contineantur &
corpus civitatis velut ab animâ suâ regatur; Sed &
Vicariis, quos *Officiales* Politici cum JCris appellant,
Majestas indiget. Neq; enim omnia videre aut ubiq;
esse majestas potest, nec arduo imperandi negotio
unius aut paucorum par est opera. Caterum eorum,
quibus Majestas Vicariis utitur, alii *Ordinarij* sunt,
quorum officia utpote Reip. simpliciter necessaria,
legibus definita sunt; alii *Extraordinarij*, quos *Cura-*
tores vocant, quibus extra ordinem expedienda com-
mittuntur negotia præter spem sese objicientia. In-
ter hos non postremi sunt *Legati*, de quibus impræ-
sentiarum paucas quasdam positiones eruditorum
examine submittere animum induximus. Sit itaq;
Bono cum DEO

A 2

THES.

THESIS I.

*Legatus est Curator publicæ rei consocienda ergò à Ma-
jestate ad Majestatem solenniter missus.*

ἐκθεσις.

§. 1. Ut rectè intelligatur hæc definitio, partim attendendum est ad *Definitum*, partim ad *Definitionem* ipsam in specie sic dictam. *Definitum* est Legatus, cujus cum *Etymologiam*, tum *Homonymiam*, tum etiam *Synonymiam* expendemus. Et quidem, quod ad *Etymologiam* attinet, Legatus à *Legando* nomen habet, quia à Republicâ aliquâ ad aliam ablegatur. Est enim Legare idem, quod mandare, decernere, mittere. *Varro lib. 4. & 5. de Lingvâ Latinâ*, Legatum à *legendo* dici putat, quasi publicè lectum, cujus operâ consilioq; publicè uteretur Magistratus, qui verè nuncius Senatus ac populi esset, seu quod idem, quia hoc ad officium non nisi optimus quisq; & solertissimus magno judicio legendus. Vid. *Heid. Polit. c. 2. p. 453.* Quod ad *Homonymiam*, Legati sunt vel *primarij* & propriè dicti, vel *secundarij* & minus propriè ita appellati. *Primarii* dicuntur, qui publico nomine ab iis, quorum in Republicâ summa potestas est, seu qui habent jura Majestatis, & superiorem non agnoscunt, ad sui similes hæc in parte, publicæ rei causâ solenniter mittuntur. Horum conditiones sunt 1. publico nomine à Magistratu summo seu Majestate mitti. 2. Ad summum Magistratum seu Majestatem ablegari: 3. publicæ non privatæ rei gratiâ, & deniq; 4. solenniter & cum quadam dignitate mitti. *Secundarii* autem & impropriè dicti Legati sunt, in quibus vel una vel plures harum conditionum desunt. V. g. si aut ille, qui mittit, superiorem aliquem in civitate agnoscat, aut ii ad quos mittitur, alienæ jurisdictionis sunt, aut rei privatæ ergò aut absq; justa solennitate aliquis mittitur. Nos in *Definitione* propositâ ut & totâ hæc *Disputatione* ad *primarios* & propriè dictos Legatos digitemus. *Synonymiam* quod concernit, Legati etiam vocantur *Oratores*, ut videre licet apud *Virg. lib. 7. Æneides*: *Jamq; Oratores aderant ex urbe Latini.*
Inter-

Interdum appellantur *Interpretes*, quia mentem suorum Principalium aliis explicandam sumunt. Nominantur quoque *Nuncij*, item *Caduceatores* à caduceo (baculo ab utraq; parte duos serpentes habente invicem implicatos, se mutuò respicientes) quem olim manu tenebant Legati, quamvis hi sæpè Legatis opponantur. Deniq; appellantur *Ambassatores* ab *αμβασιλευ*, quod est mittere, seu potius ire. Tantum de Nomine.

§. 2. Venimus nunc ad *Definitionem* ipsam in specie sic dictam. Illa autem duo involvit: *Conceptum* nimirum *Determinabilem* seu *Contrahibilem* & *Determinantem* seu *Contrahentem*, quorum ille *Generis*, hic *Differentia* munia obit. *Generis* loco ponitur *Curator*. Curatoris verò nomine intelligimus *Officialem* seu personam à summâ potestate ad res gerendas adhibitam, cujus officium legibus definitum non est. Talis persona est *Legatus*. Hic enim & adhibetur à summâ potestate ad res gerendas, & extra ordinem adhibetur ad expedienda ea, quæ præter spem incidunt. *Differentia* vicem supplet reliqua verba, quibus *Legatus* ab aliis *Curatoribus* distinguitur. Cum enim plura sint *Curatorum* genera; soli tamen illi *Legati* propriè dicuntur, qui publicæ rei conficiendæ ergò à *Majestate* ad *Majestatem* solenniter mittuntur. Ostenditur autem hic, tum à quo mittatur *Legatus*, tum ad quem mittatur, tum quo fine mittatur, & quæ ipsi expedienda negotia sint, tum deniq; quomodo mittatur. Primo *Legatum non nisi Majestas* mittere potest, seu ii, qui summam potestatem in *Republ.* habent, nec ullius hominis imperio subjecti sunt. Est enim *Legatorum* publica tractare negotia, ut mox dicetur. At hæc expedire propriâ autoritate subditorum nemo potest. Unde *Romani* jus *Legationis* sibi solis sumpserunt, nec ulli vel populo vel *republicæ* sibi subjectæ tantum licentiæ indulserunt. Quod si verò aliqui, qui superiorem *Dominium* habent, utpote rebelles subditi (nam in hos *Majestas* non minus suum retinet jus) aut *prædones* & *pyratæ* *Legatos* mittere præsumant, tum ii qui mittuntur, si sint in culpa, *communi Legatorum* securitate frui nequeunt; sed in

vincula conjici, vel etiam gravius multari possunt. Quanquam
hic cautè agendum, & quid ex usu Reipubl. sit accuratè pen-
tandum, nec fides si quæ iis data, fallenda sit. Liqueat hinc
Pontificibus & Episcopis, quâ talibus, jus legationis de jure
non convenire, etsi illud cum aliis ad se rapuerint. Neq;
enim Magistratu Politico; sed Ministerio funguntur. Deinde
& Legatus ad *Majestatem* mittitur. Quod si enim vel maximè
aliquis à Majestate mittatur, si tamen non mittatur ab eâ ad
Majestatem; sed ad subditos, Legatus appellari non meretur.
Porro mittitur Legatus *publicæ rei conficiendæ ergò*, utpote ad
componendam pacem, jungenda fœdera, indicendum bel-
lum, contrahendas amicitias & conjugia &c. Ubi probè ob-
servandum, quædam negotia videri privata, quæ tamen vel
obmittentem vel ob excipientem vel ob finem meritò publi-
cis accensentur. Deniq; Legatus *solemniter* mittitur. Quæ
quidem solennitas præsertim mandatum & literas mandati,
itemq; literas instructionis, commendationis & fidei, quas
credentias vocant, requirit. Quò etiam habitus Legatorum
& ritus in legationibus adhiberi soliti pertinent. Atq; ex
his, quæ jam dicta sunt dispalescit discrimen inter Legatum
& Deputatum. Nam Deputatus vel mittitur à Magistratu ad
subditos & quidem tum sæpe cum imperio vel etiam à sub-
ditis ad Magistratum, nec semper ipsi publica tractanda ne-
gotia sunt.

THEs. II.

Majestas in electione futuri Legati rationem habeat
(1.) *sexus* (2.) *ætatis* (3.) *bonorum animi, corporis & for-*
tuna.

In hoc.

S. 1. Quod ad *Sexum* attinet, Legationibus obeundis ma-
res, non fœminæ adhibeantur. Etsi enim fœmina, si ad Rei-
publicæ clavum sedeat, jure gaudeant Legatum mittendi:
Legationibus tamen fungi non debet. Arcet enim eam ab
hòc officio sexûs pudor, qui ipsis peregrinantibus & inter
Viros obvagentibus maximè periclitatur. Prætereà corpo-
ribus

ribus sceminae sunt imbecillioribus & labori ingenti ferendo
imparibus, rerum itidem imperitae, impatientes, & vindictae
cupidae, inconstantes, garrulae & quae sunt aliae hujus sexus
infirmities. Adde quod dedecori Reipublicae & sexui virili
probrio cedat mulierum Legatio. Objiciunt quidem non-
nulli nobis exempla sceminarum ad Legationes usurpatarum,
nimirum Sabinarum *Liv. lib. 1. 2.* Veturiae & Volumniae *Liv.*
lib. 2. Plutarchus in Coriol. 3. Item Vestalium in castra Vespa-
siani proficiscentium. *Sueton.* Sed respondetur, quod Sabinae,
Veturiae & Volumniae deprecatum potius venerint & interces-
sionis gratiam, quam ut Legatione fungerentur. Objiciunt
praeterea exemplum Reginae Arabiae ad Salomonem profectae
3. Reg. 10. Verum respondemus, quod illa non fuerit Legatio:
sed profectio, quae sceminis, si opus sit, interdici nequit. Nec
enim rei suae quisquam Legatus esse potest.

§. 2. Deinde nec *etas* negligenda est, quam nec nimis ju-
venilem, nec nimis senilem esse oportet. *Nimis juvenilis non*
est. Nam adolescentes affectibus feruntur vehementioribus,
ita ut inter incentiva vitiorum & carnis titillationes, quasi
ignis in lignis viridibus, suum nequeant explicare fulgorem.
Iidem sunt mutabiles & inconstantes, ut videndum est in
Themistocle, qui primis juventutis motibus adeo fuit varius
ac versatilis, ut ingenium suum nullum excultum literis vel
disciplinis solum secutus, omnia vitiorum genera peregerit,
animumque crebro ad deteriore partem applicaverit. Prae-
terea & imprudentes sunt. Causa ea est, quod particularium
est prudentia, quae ex experientia nobis innotescunt; Juvenis
autem expertus non est: experientiam enim temporis affert
longitudo. *Arist. lib. VII. c. 9.* Porro rebus gerendis sunt in-
utiles. Unde Solon Atheniensis legem sanxit; ne quis ad-
modum juvenis ad Magistratum aut consultationes admitte-
retur, quamvis prudentissimus esset visus, nempe *Να' αμελε-*
μοια των συμφεροντων ob inconsiderationem rerum utilium.
ap. Stob. Serm. p. 587. Sed & decepti faciles sunt juvenes.
Nam animi sunt mollis, fluxique, ideoque haud difficulter capi
possunt dolis. Sunt intemperantes ac luxuriosi. Illis enim
NON

non videtur contra naturam esse, quando jejuni bibunt, vinum inanibus venis recipiunt, ad cibum ebrii transeunt, corpusque ita nimiam commestatione ac potatione implent atque obruunt. Denique illecebris quoque capiuntur multis, praecipue adulatores, quo genere nullum pestilentius, quodque magis atque celerius juvenem in perniciem praecipitare possit. Quod si vero juvenis prudentiam & virtute senibus non sit inferior, ob solam aetatem juvenilem eum ab hoc officio non putamus esse excludendum. Ceterum nec nimis senes muneri huic satis apti sunt. Grandis enim illa aetas & corporis & ingenii sentit detrimentum. Hinc & corpore & ingenio bis pueri senes. Accedit, quod Senes tremant voce, quoniam illam continere non possunt: quomodo imbecillibus ac pueris usu venit, cum lignum praelongum parte extrema ceperint: alterum extremum quatitur, quia nequeunt superare, quod tenent, & vincere. Interim tamen non censemus, omnes promiscue senes respuendos atque contemnendos esse, cum interdum nonnulli aetate infirmi, prudentia tamen validi inveniuntur, quos etiam merito juvenibus praeferebimus, arbitramur. Melius quippe illi, quam juvenes res suos gerunt, majorique autoritate ac gratiam valent apud eos, ad quos ablegantur. Affectibus quoque non ita vincuntur, ut juvenes, obque vitam longiorem longiore excellent experientiam, cum tempus, ut inquit Besoldus, multas ac varias pariat experientias. Et quid verbis opus est multis? Plus valet umbrae senum, quam radii juvenum. Monent tamen & hoc prudentes, quod juvenes ac Adolescentes bonae spei ac eximia indolis Legatis adjungi possint, ut experientiam harum rerum sortiantur, & aliquando ad ejusmodi officia promoveantur.

§. 3. Venimus ad *bona interna* pariter atque *externa* in electione futuri Legati a Majestate attendenda. Ubi quidem primum locum tribuimus *bonis animi*. Horum vero quaedam sunt *naturalia*; quaedam *acquisita*. Quod ad *naturalia*, Majestas in eo omnis sit, ut eum eligat Legatum, qui ingenii acumine & judicii dexteritate polleat. His enim destituti arduis negotiis conficiendis omnino impares sunt. Neque tamen

tamen si eligendi, qui ingenii sunt nimis subtilis atq; acuti. Neq; enim ulli magis decipiuntur & errant in rebus ponderosis, quàm nimis subriles, quippe qui plerumq; fingunt futura, quæ nunquã facta, nec unquã futura sunt, neq; aliorum ingenii facile se accommodant. Poterit autem aptitudo ingenii alicujus omnium optimè explorari in conversatione, convivali præsertim, ubi tum dicta, tum facta personæ eligendæ examinanda sunt, & ex his de ingenio judicandum. Per bona animi *acquisita* virtutes cum *intellectuales*, tum *morales* intelligimus. Et quidem inter intellectuales virtutes in personâ Legationem obiturâ cum primis *prudentiam civilem*, quàm aliàs *Philosophiam Practicam* vocant, requirimus. Ex hâc enim præcavere discit, ne vitia pro virtutibus accipiat; sed honestum à turpi discernat. Docet hâc illum, quomodo Respublica constitui ac conservari, everfio autem ejus vitari debeat. Quæ omnia nosse Legatum non parum juvabit. Post prudentiam civilem & *Jurisprudentiam* in futuro Legato requiritur, siquidem nemo Legationes prudentius obeat, quàm juris legumq; peritus. Neq; tamen Leges juris probè cognitæ perspectasq; habere sufficit: Sed & apprimè necessarium est, ut Legationis munere functurus cum aliarum rerum publicarum, tum illius præsertim, cujus membrum est, & à quâ mitti debet, statum probè cognoverit. Nec parum momenti in *historiarum* scientia positum est, cum ex veterum exemplis de præsentibus & futuris optimè judicare detur. Porro & *linguarum* peritiam hoc munus exigit, eorum præsertim populorum, ad quos mittitur, quiq; sub potestate Principalis sui sunt, ut eò melius cum amicis pariter ac hostibus colloqui possit. Deniq; *copiosè ac ornatè dicendi facultate* probè sit instructus, ut hujus concinnâ elegantiam legationem suscipiens animos hostium bello intentos ad pacem pellicere, vel amicitiam pangere, eamq; conservare possit. Est enim eloquentiæ vis maxima in turbis & seditionibus comprimendis, amicitiam pangenda, & in hostibus ad deditionem & pacem inflectendis. Inter *Virtutes Morales* futuro Legato opus est *Fortitudine*, ut sit constans in superandis viarum difficultatibus, in sustinendis officii sui

B

labo-

laboribus, in aduendis periculis, in contemnendis aduersa-
riorum minis, in tolerandis, si opus sit, injuriis, in ipsâ de-
niq; morte, si opus sit, oppetendâ. *Vid. 9. Philipp. Cic. Alber.*
lib. 3. de Legat. Opus ei est *Temperantiâ*, ne per ebrietatem
inconsideratè rem gerat, ne arcana temerè effutiat, ne aucto-
ritatem suam prostituat, ne profusione nimîâ ararium ex-
hauriat, ne fortunam eandem cum Legatis Persarum apud
Macedonas experiatur. *Herod. in Terpsich. Alber. lib. 3. cap. 13.*
Opus *Φιλοτιμία* seu potius *μεγαλοψυχία* *Magnanimitate*, ut
& suam & imprimis sui Principis auctoritatem tueatur. *Tac.*
lib. 3. c. 15. Alber. lib. 3. c. 19. nec eam ullo pacto labefactari &
minui sinat, nisi aliquantulum de jure eum cedere cogat illo-
rum, ad quos mittitur, humanitas & potentia, vitæ periculum
& salus publica. Opus animo, qui suas potest frenare cupi-
ditates, qui abstinentes habere manus, qui opes contemnere,
divitias aspernari, munera repudiare. Porrò opus est Legato
Magnificentia, in honorem ejus, qui mittit, & illius, cui mitti-
tur. Nec quicquam est, quod facilius animos hominum al-
licere possit, & tenere, quàm liberalitas & beneficentia. Opus
Mansuetudine & ira moderatione, cum nihil sit, quod bonis con-
siliis tam officiat, quàm festinatio & ira, nihil quod plus teme-
ritatis & præcipitantia secum afferat. Opus *silentio*, ne arcana
sui Principis eliminans Reipublicæ nudum quasi latus hosti
præbeat, & opportunitatem cavendi simul & agendi exhibeat.
Opus *affabilitate, comitate & εὐταπλία*, quæ virtutes gravi-
tate quadam condita, Legatis plurimum benevolentia apud
exteros conciliant. Imprimis opus *fide*, quæ non privatâ
aucupatur commoda, nec legationem habet loco messis aureæ.
Sed hoc agit unum, ut Principi & Reipublicæ suæ commodet.
Alb. lib. 3. c. 11. Habita fides ipsam obligat fidem. *Liv. lib. 22.*
At verò Princeps seipsum & omnia sua Legato committit, in
turpissimis itaq; fuerit, si fallere ipsum velit. Et fidem omnis
justitiæ fundamentum esse, nemo nescit. *Cicer. 1. Off.*

§. 4. Hactenus de bonis animi, quæ meritò primo loco
habenda. Interim & corporis & fortune bona in eligendo Legato
non sunt negligenda, siquidem cum bonis animi conjuncta
possint

possint haberi. Et quidem quantum ad bona corporis attinet cum Legato per saxa & ignes, mare & terram eundum sit, ante omnia salubri corpore & ferendis laboribus pari opus habet. Morbosi, vertiginosi, Podagrici, calculosi, melancholici, epileptici, lethargici huic muneri parum apti sunt. Deinde quia

Gratior est pulchro veniens est corpore virtus, non parum etiam momenti decorum corpus obtinet. Praesertim corporis integritas sine defectu partium, & conveniens harum dispositio requiritur. Non ergo mittendi strumosi, manci, muti, captones, nasones, caeci, surdastri, claudi aut aliis huiusmodi vitiis corporis laborantes, quibus & mittentis auctoritas prostituitur & vix vitatur suspicio contemptus illius, ad quem mittitur. Tandem & staturae corporis habeatur ratio, ne seu pygmaeus seu Polyphemus quispiam mittatur.

§. 5. Quod verò bona fortunae concernit, dignitatem pariter ac opes mittendi attendendum est. Non mittendi opifices sordidi, institores, aliique ignobiles, multo minus infames; Sed qui & honesto loco nati sunt, & honestum in vitam locum obtinent. Non sine vitae discrimine barbitonsor quidam Legatus à Ludovico Galliae Rege missus est, quippe quem Aurelienses pene occidere. Nec ad incitas redacti & rebus necessariis destituti Legationi apti sunt, sed qui rem habent, ut splendidè & eleganter possint vivere, & de suo etiam liberales esse.

THES. III.

Officium Legati consideratur vel in itinere, vel in expositione mandati, vel in executione & renunciatione responsi.

ἐκθεσις.

§. 1. Quantum ad iter, illud, acceptis literis mandati, instructionis & fidei reliquisque, quorum indiget, ad quae etiam vaticum referimus, sine mora ingrediatur Legatus, cum temporis punctio maxima rerum vertantur. Non inclementia aëris, non pluviae, non calores, non frigora ipsum detinere debent.

B 2

Eun-

Eundem autem viam regiam est ac consuetam, non vel voluptatis
vel curiositatis vel rerum suarum causam deflectendum a via est.
Nec cunctandum in via; sed quantum fieri potest, festinan-
dum. Vid. *Heid. Philos. Polit. cap. 2. p. 487. 488.*

§. 2. *Exhibitionem mandati* Legatus veniens eo, quod missus
est, quam fieri potest, citissime procuret. Rogandi ergo an-
te omnia sunt, ad quos missus est, ut admittant ipsum & au-
diant. Quin & artibus uti licet ad faciendam sibi audientiam,
si necessitas exigat. Quod si insidiarum causam se detineri
sentiat, id mature conetur avertere. Imo & militatum eun-
tem majestatem, ad quam missus est, sequatur, nisi vel mit-
tentis auctoritas, vel excipientis voluntas aliud suadeat. Ad-
missus vero ante omnia id agat, ut, quae habet in mandatis,
intrepide juxta ac fideliter exponat. Dico (1.) *intrepide* ne
hastas & fulgentes militum gladios aut scintillantes se intuen-
tium oculos vereatur, aut iis a libera expositione mandati
sui absterreatur. Dico (2.) *fideliter*, ut ne hilum quidem a
mandato deflectat, aut plus vel minus, quam sibi mandatum
est, proponat. Ea enim Curatorum in genere conditio est,
ut iis voluntas potestatis summae expressa pro lege sit, a qua
deflectere non licet etiamsi vel maxime rem commodius ge-
rere possit, quam jussus fuerat. Hinc Caesar laudat Silanum
Legatum, quod detrectasset pugnam, licet certo victurus,
quia, inquit, nihil debebat contra jussum Imperatoris facere.
Haec ipsa tamen, quae hactenus diximus, in tantum valent, nisi
forte libera potestas Legato data sit. Dantur enim nonnun-
quam Legatis vacuae chartae, ut testatur *Cominius*, ut iis in-
scribant, quod pro ratione circumstantiarum necessarium ac
Reipublicae profuturum videtur. Nonnunquam etiam libe-
rior potestas Legato indulgetur, inserta mandato hac clausula
generali: *Reliqua tuae prudentiae & discretioni committimus.*
Quod etsi periculo non caret; nonnunquam tamen necessa-
rium videtur. Fieri enim potest, ut, antequam Legatus man-
data sua peragat, domi aliquid interveniat, quo fiat, ut, quae
in mandatis habet Legatus, Reipublicae magis noxia, quam
proficua sint, Alias etiam alia in expositione mandati a Legato
requi-

requirunt, ut nimirum sermone patrio vel saltem Latino ubiq;
locorum recepto utatur, ut honorificè salutet, ac amicè com-
pellet eos, quibuscum agendum. Et præsertim, ut Majesta-
tis, à quâ missus est, auctoritatem tueatur, nec ulli præeminen-
tiam aliquam, quæ ipsi non debetur, concedat. De quibus
vid. *Heid. loc. citat.*

§. 3. Exposito ita mandato, non abeundum statim Legato
est, re infectâ; sed *expectanda responsio*. Et quamquam certum
tempus excipienti præfinire haud liceat (neq; enim nobis pro-
batur Popilii institutum, qui circulo, quem bacillo in arenâ
ducebat, Antiochum circumscripsit, bellum minitans, si non
responderet, antequam egrederetur: Interim si diem ex die
ducat Excipiens & mora cum Reipublicæ, à quâ missus est Le-
gatus, incommodo aut periculo sit conjuncta, modestè exigat
responsum Legatus, interea temporis scrutans omnia, quæ in
excipientis aulâ ac provinciâ fiunt, ita tamen, ne malâ fide
agat cum iis, ad quos missus est. Quod si durius detur respon-
sum, virili animo mitius petatur, si alienum à re præsentî,
aliud petatur ad rem faciens: si ambiguum atq; obscurum
postuletur perspicuum atq; apertum. Nec sufficit vivâ voce
datum esse responsum, cum ita facilè varietur ac depravetur;
sed petatur, ut literis mandetur, & ab excipientibus subscri-
batur. Quæritur hîc, an liceat Legato munera ab excipiente
ante abitum suum sibi data, accipere? Ansam dubitandi nobis
præbent Athenienses, qui talem legem sanxerunt Legatis suis,
ut nemo eorum munera acciperet, & qui contra legem illam
esset facturus, morte mulçaretur *Xenoph. lib. 7. de rebus Græciæ*.
Inde etiam Legatum quendam, quamvis honorificam & pro-
batissimam omnibus Atheniensibus pacem cum Rege Persa-
rum confecisset, tamen quia in Legatione munera accepisse
visus fuerat, ex eâ lege capitali supplicio afficere voluerunt;
referente antea citato Autore. Nos hoc per omnia & simplici-
ter probare non possumus. Nam si promiscuè munerum ac-
ceptatio prohibita, utiq; eorundem etiam erogatio, atq; adeo
ipsum etiam præcipuum societatis humanæ vinculum liberali-

ras sublata' esse videtur. Quamobrem distingvendum esse putamus inter muneratorem, an nimirum sit hostis, homo improbus & sceleratus, vel an sit amicus & bonus vir. Illi semper aliquid monstri alunt, nobisq; struunt insidias. Hi autem bono animo & sine bonâ donant; itemq; inter ipsa munera, quorum quædam dicuntur publica & ordinaria; Quædam extraordinaria & privatim data. Publica & ordinaria, quæ benevolentia, amicitia & honoris & memoria causâ dantur, optimo jure accipiuntur; extraordinaria autem & privatim data, quæ fraudulentè, corruptelâ, seductionis & deceptionis ergò offeruntur, sunt repudianda. Est itaq; opus, ut in extraordinariis muneribus Legatus sit moderatus, & omnia prudentia regulâ metiatur. Vid. *Heid. loc. citat. Liebentb. Colleg. Polit. exercit. XI. qu. XI.*

§. 4. Tandem domum reversus Legatus Legationem suam renunciet ei, à quo missus est. Est autem actorum *relatio* duplex, alia *primaria*, alia *secundaria*. Primariam vocamus eam, cum Legatus nunciat ea, quæ ad Legationem propriè spectant, hoc est, quâ ratione fuerit exceptus, habitus, auditus, dimissus, quid responsi acceperit, quid impetratum, quid minus, quæ munera publicè & privatim sunt oblata. Sic enim judicata facillimum erit, rectenè, an secus munere suo functus fuerit, & an præmia, ac honores, an pœnas ac ignominiam meruerit. Secundaria relatio est, si alia, quæ visa & audita, licet propriè ipsam Legationem non attineant, & illa quidem scitu digna & usui mittentibus, aut honestæ voluptati futura, bonâ fide & sine adulatione commemoret, ut sunt Principis, ad quem missus, ingenium, mores, forma corporis, ætas, valetudo, Reipublicæ ratio, leges instituta, Consilarii, ministri, Cives & subditis, affines, cognati, & amici, redditus, opes & thesauri, urbes & arces, armamentaria & granaria, situs regionis, montes, sylvæ & flumina, animalia, pecudes, armenta, fodinæ metallicæ, pascua, plantæ, arbores, herbæ, harum propages & semina.

THES. IV.

*Legati sancti sunt & cum in accessu, tum etiam in re-
ditu inviolabiles.*

ἐνθεοῖς.

§. I. Cum nihil sit, quo societas humana arctius coalescere aut vicinitatis confœderatio firmitus conservari, aut amicitiae & pacis jura diutius facta tecta permanere possint, quàm Legationes, jure gentium introductum est, ut Legati cum pace, tum bello cum toto suo comitatu ac suppellectile sancti & ab omni offensione damnoq; tuti sint. Unde natum antiquissimum proverbium est: *Legatus neq; ceditur, neq; violatur.* Et Veteres Caduceatores divinum genus & medios inter Deos & homines esse dixerunt, & hominum Deorumq; nuncios honorandos, de quibus Cato: *Caduceatori nemo hominum nocet.* Hinc etiam in Signum securitatis olim sagmina seu verbenam portabant. Quapropter civitas Legatos violans ultionem sustinet & bello petitur ab eo, cujus Legati malè habiti sunt. Et jure Canonico Violatores Legatorum à Christianâ Republicâ exterminantur. Nec statim ob qualiacunq; delicta in Legatos sæviendum est. Non probatur factum Antonii, qui Thyrexum ab Augusto missum flagellis cadebat dicentis, se illius superbiâ & insultatione fuisse irritatum. Et ab omnibus meritò culpatur sævitia Stephani Wallachiæ Palatini Legatos Tartarorum, eò, quod Oratione minaciore Principis sui filium bello captum reposcerent, omnes palis suffixos enecantis præter unum, quem auribus & naribus truncatum remiserat. *Kirch. lib. I. c. 2.* Nec pro delicto habendum est in Legato, si jussa Principalium iniqua postulet, cum faciat, quod in mandatis habet. Unde iniquè fecerunt Spartani & Athenienses, quod Persarum Legatos mandato Regis sui, terram & aquam petentes in puteos abjecere. Imò & illorum Principum, qui jura Legationis antea violarunt, Legatos violandos ob id non esse, Politici

statuunt:

statuunt : Sed alia potius ratione vindictam sumendam, exemplo Romanorum, qui etsi audierunt, Legatos suos à Carthaginensibus malè exceptos fuisse ; ab ipsorum tamen nunciis poenam non sumpserunt aliam, quàm ut eos, infectâ causâ, jusserint discedere.

§. 2. Quod si verò atroci aliquo scelere se obstrinxerit Legatus, atq; in jus naturæ & gentium graviter peccarit, aut speculator & proditor sit, malo animo aut sine ea, quæ scrutari eum non decet, expiscans, aut Legati personam ponens & hostis induens, eum, ad quem missus est, aut ipsum Rempublicam petat, securitate istâ frui non potest. Quanquam multi etiam Legatis extrema meritis pepercerint, ut omnem violationem juris gentium à se amoverent, clementiamq; & æquitatem suam proderent.

THESES. V.

Legati præsertim dividuntur in Liberos & Formularios itemq; in Legatos factorum & verborum.

Ex Jæcis.

§. 1. Variè aliàs Legati dividuntur, cum varia negotia ipsis sint expedienda. Hinc alios faciunt Legatos, qui honoris & officii causâ ; alios, qui negotii speciatim sic dicti gratia mittuntur. Prioris generis sunt v. g. qui gratulatum mittuntur de victoriis, de nuptiis, de successione, aut electionibus in Principatu, de recuperata sanitate & similibus. Posterioris generis Legati pro varietate negotiorum iterum variant. Vel enim mittuntur ad contrahenda matrimonia vel ad ferienda foedera, vel pacem pangendi ergò & quæ hujusmodi negotia alia sunt, de quibus supra.

§. 2. Nobis hâc vice sufficiat duas primarias Legatorum divisiones expendisse. Et primò quidem Legati dividuntur in *Liberos & Formularios*. Liberi sunt, qui nulla præscripta formula

formula liberam agendi potestatem habent, quicquid ex usu mittentis fuerit. Ita Phaneas & Democles missi ab Ætolis ad Romanos fuerunt. Nec hodiè quidquam usitatus, quam Principes Legatis suis libera mandata dare, & chartas vacuas suis nominibus subscriptis tradere. Fit hoc tamen potissimum, si res obscuræ sint & incertæ, si ancipites & dubiæ, si depositæ & propè desperatæ. Formularii sunt, qui certas formulas & institutiones, quas vocant, hoc est, certa mandata, quorum ad præscriptum gerenda, sunt omnia, efferunt, & has extra metas evagari non audent.

§. 3. Deinde Legati alii sunt *factorum*, alii *verborum*. Legati *factorum* dicuntur, qui nihil *verborum* faciunt; sed tantum literas exhibent, munera offerunt, præsentiamq; suam ostendunt. Talis fuit Legatus Popilius Antiocho Senatus literas exhibens. *Liv. l. 45.* Talis Scytharum Caduceator, qui Dario avem, murem, ranam & quinq; sagittas offerebat. *Herod. lib. 4.* *Verborum* autem Legati sunt qui verba facere cumq; excipientibus ea commutare coguntur. Tantum hæc vice de Legatis.

COROLLARIA.

1. *Inflictio poenarum pertinet ad Justitiam Commutativam, non Distributivam.*
2. *Jus naturale est immutabile.*
3. *Polygamia non est licita.*
4. *Nemo duarum civitatum potest esse civis.*
5. *Divisio Majestatis in realem & personalem est nulla.*
6. *Clericus potestati civili est subjectus.*
7. *Judici, quando judicat, secundum acta & probata iudicandum est.*

GLORIA CHRISTO!



Ad Humanissimum

DN. RESPONDENTEM,

Magni Parentis filium, Amicum
meum dilectum.

PReside, conscendis cathedram, florente Neandro,
Quem studio magno Leucoris alma colit.
Egregium es nactus, juvenis præclare, Magistrum;
Hunc tu si sequeris, nobile munus habes.
Gaudebit genitor; gaudebit patria mecum;
Nam patriæ servit civis uterque bonus.

Michael Wendelerus,
D. & P. P.

Ad Politissimum & Literatissimum

DN. RESPONDENTEM,

Cognatum suum per dilectum.

Sic rite insistis, Cognate Colende, Parentis
Magni vestigiis & supra vulgus inane
Altius exsurges, studiis dum nocte dieque
Impiger invigilas. Id quod testarier omnes,
Quotidie Tecum qui conversantur, oportet,
Testantur Theses præsentis, testor & ipse,
Supremum Numen præclaris annuat ausis
Atq; laboranti vires aspiret opesque,
Mox ad propositam detur ut pertingere metam!

gratul. scrib.

P R Æ S E S.

Non

Non nisi Parnassi, qui strenuus excolit artes,
Excelsum, cuiquam, culmen adire licet.
Hoc censesq; probasq; simul, Concivis amande
Et bene. Namq; aliter non ineunda via.
Propterea studiis te non superaddere tades
Publica privatis, his operamq; dare.
Gratulor. Hac facilis tibi si via (spero) labore
Reddetur, suberunt mox juga summa tibi.

Pereximio Domino Respondenti
conterraneo suo dilectissimo
gratulatur

Daniel Crügerus,
Philos. Stud.

Præmia deportant, stadium qui cursibus explent,
Hancq; viam celeres carpunt non absq; labore.
Sic, Commensalis, te præmia digna manebunt,
Qui fortis superas incommoda quæq; viarum,
Intensis per quæ nervis ad culmen eundum
Splendida Musarum cujus sunt templa corona.

Gratulabundus Pereximio Dno Respondenti
Commensali atq; Contubernali
suo amicissimo adscribebas

Johannes Christophorus Willerus,
Cüstrin. March. LL. Stud.

C 2

Uris

*Urit maturè quod vult urtica
manere.*

HÆcce Poëta canit, quod sint conformia verò
Quæ canit, exemplo, Fautor amande, doces.
Conscendis cathedram, declaras, quanta supellex
Sit tibi. Sic annos splendida cœpta premunt.
Inde quid elicio? procul haud à stipite MAGNI
Patris, Gnate, cades. Nomen ad astra feres.

*Ita Contubernalis sui plurimùm
suspiciendi industriam
miratur*

Johannes Hildebrandus **Wernicke**/
Philosophiæ Studiosus.



WITTENBERG, Diss., 1660


ULB Halle 3
003 484 572




56

1077







B.I.G.

Farbkarte #13

POLITICA

TIS,

auxiliante,

Academia,

dio

I

Præclarissimi

CHRISTOPHORI

næ Facultatis Philo-

Meritissimi,

suorum Promotoris

atem colendi,

virili

CUS STEPHANI,

OMARCHICUS,

ondens.

ris matutinis,

Minori.

RGÆ

AEL Wende.

C LX.

24
12

1660

Handwritten signature

